

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Laus as cum fonte primo

Nolo, nolo laudes me. Nolo dicas: O magnum uirum, contempsit omnia et dampnatis humane uite furoribus fugit! Nichil dampnauit nisi me. Non est quod proficiendi causa uenire ad me uelis. Erras qui hinc aliquid auxilii speras; non medicus sed eger hic habitat. Malo illa cum discesseris dicas: Ego istum bonum hominem putabam et eruditum; erexeram aures: Destitutus sum; nichil uidi, nichil audiui quod concupiscerem ad quod reuerterer.

Nolo nolo laudes, nolo dicas: 'o magnum uirum! contempsit omnia et dampnatis humanae uitae furoribus fugit'. Nichil dampnauit nisi me. Non est quod proficiendi causa uenire ad me uelis. Erras, qui hinc aliquid auxilii speras; non medicus sed eger hic habitat. Malo illa, cum discesseris, dicas: 'ego istum beatum hominem putabam et eruditum, erexeram aures: destitutus sum, nichil uidi, nichil audiui quod concupiscerem, ad quod reuerterer'.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 68, 8-9 (L. Reynolds ed., vol.1, pp.199-200, ll.20-27, 1).

Cum secesseris, non est agendum hoc ut de te homines loquantur, sed ut ipse tecum loquaris. Quid autem loqueris? Quod homines de aliis libentissime faciunt, de te apud te male existima.

Cum secesseris, non est hoc agendum, ut de te homines loquantur, sed ut ipse tecum loquaris. Quid autem loqueris? quod homines de aliis libentissime faciunt, de te apud te male existima: adsuesces et dicere uerum et audire.

Seneca LXIX. epistola.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 68, 6 (L. Reynolds ed., vol.1, p.199, ll.5-8).